

[1] Epistole ad Hugonem, episcopum Ostiensem [EpHug]

«... cum ordo et religio fratrum, divina gratia faciente, satis iam inciperet dilatari, [...] sanctus Franciscus accessit ad dominum papam Honorium, qui Romanae tunc preerat Ecclesiae, supplici prece petens ab eo ut dominum Hugonem, episcopum Hostiensem, sui fratrumque suorum patrem et dominum ordinaret. Annuit dominus papa precibus sancti, et benigne obtemperans, suam illi super ordinem¹ fratrum contulit potestatem [...].

Spiritu Dei ducebatur, quo repletus erat, et ideo longe ante intuebatur quod postmodum erat in oculis omnium sic futurum. **Nam quoties, familiaris religionis urgente causa vel potius charitate Christi qua erga ipsum flagrabat cogente, scribere vellet ei, nequaquam acquiescebat ipsum in litteris suis vocari episcopum Ostiensem seu Velletrensem, sicut caeteri utebantur in salutationibus consuetis, sed, assumpta materia, sic aiebat: “Reverentissimo patri, sive domino Hugoni, totius mundi episcopo”.** Saepe namque benedictionibus inauditis salutabat eum, et licet esset devota subiectione filius, dictante tamen Spiritu, quandoque ipsum paterno consolabatur colloquio».

(THOMAS DE CELANO, *Vita prima sancti Francisci*, 100: *Fontes francescani*, 377).

¹Paolazzi, *erronee*: ordine.